



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118294**

§. 21. Angliae Administrator Legationis diplomati obluctatus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

eum Episcopum Wintoniensem in Anglia, Sæcul. XV.  
Joannis Lancastriæ Ducis Filium, quem A. C. 1427.  
anno superiori Cardinalem tit. S. Eusebii  
creaverat, in Bohemiam Legatum mitten-  
di, ut hæreticos armorum vi compescer-  
re conaretur.

Dabat Pontifex hujus Legationis di-  
ploma die decima octava Martii curren-  
tis anni, ipsum vero Cardinalem plena  
instruxit auctoritate, qua Wiclefistas tam  
spirituali, quam temporali gladio repre-  
mere valeret, insuper plurimas concessit  
indulgentias iis omnibus, qui sacræ ex-  
peditioni nomen darent, cum eadem  
extensione, quæ alias cruciferis Terræ  
sanctæ militibus erogari solent.

### §. XXI.

#### *Angliæ Administrator Legationis di- plomati obliuſatus.*

Postquam Breve Pontificium in Angliam  
delatum fuit, Glocestriæ Dux Regni  
Administrator illud promulgari prohibuit,  
cauſatus, regiæ auctoritati vim inferri,  
eoquod Henricus Cardinalis, non saluta-  
to Rege, legationis suæ munia obire præ-  
fumeret; hinc tam a Legato, quam a *Addit ad*  
*Pontifice ad generale appellabat Conci-*  
*lium, declarans, libentissime Henrico col-*  
*loquii copiam esse impertiendam, si forte*  
*ut Cardinalis, quæ nomine Pontificis*

*Ciacon. in  
Martln. V.*

Sæcul. XV. proponeret, haberet, semper tamen sal-  
A. C. 1427. vis juribus ac coronæ privilegiis.

## §. XXII.

*Legatus cum exercitu ex Anglia profectus.*

*Harpsfeld  
6. 20.*

Ferunt, hanc occasionem sibi oblatam non sine gaudio a Glocestriæ Duce arreptam fuisse; sperabat enim, se non modo privato, quo in Cardinalem Henricum ferebatur, odio satisfacturum, sed etiam de Pontifice ultionem sumpturum, eo quod ille matrimonium dissolvisset, quod cum Jacobina Hannoniæ Comitissa contraxerat, ex quo tamen ingentia sibi bona præsagiebat. Ut ut res se habeat, id certum est, Cardinalem Duci reposuisse: Nunquam mihi in mentem venisset absque Regis assensu legatione in Anglia defungi, minus vero juribus, privilegiis, immunitatibus, ac patriis Regni moribus quovis pacto derogare, sed potius eos pro viribus tueri ac conservare intentus sum. Responsum Cardinalis probavit Administrator, eique copiam fecit conscribendi milites, quos in Bohemiam duceret. Referunt Scriptorum nonnulli, hanc facultatem Legato ea lege datam, ut suas copias primo in Gallias transferret, ibique moram traheret, donec Administrator Bedfordiæ Duci subsidiarios milites, quos